

694 nituntur longo vestigia ponere clivo.  
695 Tantum aberant summo quantum semel ire sagitta  
696 missa potest; flexere oculos et mersa palude  
697 cetera prospiciunt, tantum sua tecta manere.

*Ovidius, Metamorphoses 8.664-697*

## Tekst 2

---

### *Ovidius' autobiografie*

55 Utque ego maiores, sic me coluere minores,  
56 notaque non tarde facta Thalia mea est.  
57 Carmina cum primum populo iuvenilia legi,  
58 barba resecta mihi bisve semelve fuit.  
59 Moverat ingenium totam cantata per urbem  
60 nomine non vero dicta Corinna mihi.  
61 Multa quidem scripsi, sed, quae vitiosa putavi,  
62 emendaturis ignibus ipse dedi.  
63 Tunc quoque, cum fugerem, quaedam placitura cremavi,  
64 iratus studio carminibusque meis.  
65 Molle Cupidineis nec inexpugnabile telis  
66 cor mihi, quodque levis causa moveret, erat.  
67 Cum tamen hic essem minimoque accenderer igni,  
68 nomine sub nostro fabula nulla fuit.  
69 Paene mihi puero nec digna nec utilis uxor  
70 est data, quae tempus perbreve nupta fuit.  
71 Illi successit, quamvis sine crimine coniunx,  
72 non tamen in nostro firma futura toro.  
73 Ultima, quae mecum seros permansit in annos,  
74 sustinuit coniunx exulis esse viri.  
75 Filia me mea bis prima fecunda iuventa,  
76 sed non ex uno coniuge, fecit avum.  
77 Et iam complebat genitor sua fata novemque

78        addiderat lustris altera lustra novem.  
79    Non aliter flevi, quam me fleturus ademptum  
80        ille fuit. Matris proxima busta tuli.  
81    Felices ambo tempestiveque sepulti,  
82        ante diem poenae quod periere meae!  
83    Me quoque felicem, quod non viventibus illis  
84        sum miser, et de me quod doluere nihil!  
85    Si tamen extinctis aliquid nisi nomina restant,  
86        et gracilis structos effugit umbra rogos:  
87    fama, parentales, si vos mea contigit, umbrae,  
88        et sunt in Stygio crimina nostra foro,  
89    scite, precor, causam (nec vos mihi fallere fas est)  
90        errorem iussae, non scelus, esse fugae.  
91    Manibus hoc satis est: ad vos, studiosa, revertor,  
92        pectora, quae vitae quaeritis acta meae.  
93    Iam mihi canities pulsus melioribus annis  
94        venerat, antiquas miscueratque comas,  
95    postque meos ortus Pisaea vinctus oliva  
96        abstulerat deciens praemia victor eques,  
97    cum maris Euxini positos ad laeva Tomitas  
98        quaerere me laesi principis ira iubet.  
99    Causa meae cunctis nimium quoque nota ruinae  
100        indicio non est testificanda meo.

*Ovidius, Tristia 4.10.55-100*